



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Vtrum detur relatio extrinsecus adueniens, & quid sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

inhæſionis. Dico autem formam absolutam, quia vnum ubi expellit formaliter aliud ubi ab eodem subiecto inhæſionis. Quare si explicanda sit hæc proprietas sic, vt soli qualitati conueniat, debet addi, quod sola qualitas habeat formam positiuam absolutam sibi contrariam sic, vt non possit compari cum eadem forma in eodem subiecto inhæſionis. Sed nec in hoc etiam sensu hæc proprietas conuenit omni qualitati; nam lux est qualitas, & tamen non habet contrarium in hoc sensu, nec etiam habitus supernaturales, aut species impressæ.

Secunda proprietas est susceptiuum esse magis & minus, hoc est posse intendi & remitti: quod quidem competit qualitatibus pluribus, non tamen videtur competere omnibus; nam certe quilibet actus intellectus vnus non videtur posse intendi aut remitti proprie loquendo, nec quælibet species impressa. Deinde ipsæ Philosophi asserit hanc proprietatem non conuenire soli qualitati: & certe quantum ad modum loquendi, dicitur res quæcumque esse magis & minus similis alicui, sed & vna actio dicitur magis intensa alia actione.

Tertia proprietas est, quod secundum eam res dicuntur similes & dissimiles; quod sine dubio intelligendum est de similitudine strictæ sumptæ, quæ fundatur in ipsa qualitate; nam res dici similes & dissimiles large loquendo secundum quascumque formas, in quibus conueniunt aut disconueniunt, est extra controuersiam. Addendum autem quod ex hac proprietate vix possit declarari natura qualitatis, quia non potest intelligi bene, quid sit similitudo proprie dicta, nisi intelligatur prius ipsa qualitas, quandoquidem similitudo proprie dicta, vt distinguitur ab aliis similitudinibus, non possit cognosci nisi quatenus cognoscatur fundari in qualitate. Itaque in hoc solum sensu posset per hanc proprietatem colligi aliqua forma esse qualitas, quatenus qui cognosceret aliqua esse similia in aliqua forma, quæ non esset nec substantia, nec quantitas, nec relatio vlla, eo ipso posset cognoscere quod illa forma esset qualitas.

DISPUTATIO XVII.

QVAE EST VNICA.

De Sex vltimis Prædicamentis

N vnica hac disputatione naturam sex vltimorum prædicamentorum scilicet *Actionis, Passionis, Quando, Vbi, Situs, Habitus*, explicare conabimur.

QVÆSTIO I.

Utrum detur relatio extrinsecus adueniens & quid sit.

Moueo hanc quæstionem hic, quia communis sententia *Scotistarum* est, sex vltima prædicamenta consistere in huiusmodi relationibus. Quæ sententia communiter reſicitur, & quidem hoc fundamento, quod non dentur tales relationes.

Vt autem hæc bene intelligatur, ac vitetur quæstio de nomine, aduertendum est nos cum *Scoto* nihil aliud intelligere per relationem extrinsecus aduenientem, quam formam pure respectiuam, quæ nec includit aliquid absolutum intrinsece & essentialiter, nec identificatur realiter ex suppositione quod daretur talis similitudo (de cuius suppositionis veritate parum hic est curandum) & quæ non spectat ad prædicamentum *Ad aliquid*.

Aduertendum secundo, omnem relationem transcendentalem identificari alicui alteri entitati, quam præsupponit vt fundamentum, v.g. relatio transcendentalis, quam dicit creatura ad Deum, identificatur ipsi creaturæ; & relatio, quam dicit intellectus ad obiectum, identificatur ipsi intellectui. Relatio verò pertinens ad prædicamentum *Ad aliquid*, quam vocant *Scotiste* merito relationem intrinsecus aduenientem, necessario præsupponit fundamentum & terminum cum ratione fundandi; quibus positus necessario resultat absque aliqua actione ad ipsam-

met terminata: vnde si detur aliqua forma relatiua, quæ non identificatur alicui alii rei, nec præsupponit fundamentum, terminum, & rationem fundandi ad quæ necessarium sequitur, dabitur relatio extrinsecus adueniens; nihil enim aliud intelligimus per relationem extrinsecus aduenientem, quam huiusmodi: & ratio nominis est aptissima: cum enim sit entitas pure relatiua, hoc est non includens aliquid absolutum, nec identificatum vlli absoluto, debet vocari relatio; & quia vltimas non sequitur necessarium ex vi fundamenti, & termini, aut vllius rationis fundandi se habentis ex parte ipsorum absque actione aliqua immediate terminata ad ipsammet, quemadmodum sequuntur relationes de prædicamento *Ad aliquid*, merito vocatur extrinsecus adueniens, ad differentiam illarum aliarum relationum, quæ intrinsecus aduenientes dicuntur; & per hoc patet responsio ad dissentium longissimum, quo vtitur *Suarez* supra contra *Scotum* ex nomine relationis intrinsecus aduenientis.

CONCLUSIO.

2. Dantur relationes extrinsecus aduenientes in sensu iam explicato. Hæc est *Dottoris* in 3. dist. 1. quæst. 1. & in 4. dist. 3. quæst. 1. quod libere in 1. num. 4. cum *Scotistis* omnibus, quos sequuntur *Louanienses* hic; *Paulus Venerus* 5. Met. capit. 36. & alii contra communiorum *Thomistarum*, & *Recentiorum* sententiam, quos citant & sequuntur *Suarez* dist. 48. Met. sectio. 1. *Rinnus* & *Complutenses* hic.

Probat, quia secundum aduersarios communiter datur vnio inter materiam & formam, quæ est aliquid reale positiuum distinctum ab illo: & licet hoc negetur à *Caietano* & aliquibus paucis; tamen id modo supponendum est cum communiori aduersariorum sententia, quam aliàs probabimus, Deo volente: sed illa vnio est huiusmodi respectus; ergo, &c. Probat minor, quia est aliquid reale, cuius totum esse consistit in ordinatione actuali vnus ad aliud: ergo est essentialiter respectus; non est autem intrinsecus adueniens, vt fatentur aduersarii, & patet, quia non præsupponit aliquid ex parte extremorum, ad quod necessario sequitur, possunt enim extrema esse existentia simul, quamuis non haberent illam unionem: non est etiam respectus transcendentalis, quia neque est quid absolutum, aliàs essentia eius non consisteret in actuali ordinatione vnus ad aliud; neque identificatum realiter alicui absoluto, quia non potest assignari quodnam sit illud absolutum, cui identificaretur, aut quis effectus, aut vtilitas eius; ergo non est respectus transcendentalis, aut prædicamentalis de prædicamento *Ad aliquid*, & consequenter erit extrinsecus adueniens.

Confirmatur hoc meo iudicio euidenter, quia eodem modo, quo aduersarii dicunt unionem esse aliquid absolutum dicens respectum transcendentalem, & propterea non posse intelligi, nisi per modum respectus, posset aliquis dicere, quod similitudo & quicumque respectus intrinsecus adueniens esset etiam quid absolutum, dicens tamen ordinem ad terminum: sed hoc est absurdum etiam secundum ipsos: ergo & illud, vnde sequeretur probabilitas eius.

3. Confirmatur secundo, quia si vnio materiæ ad formam esset quid absolutum, quæ esset ratio cur dicerentur vniri, deberet poni in vtroque extremo, vel vnum absolutum in vno, & alterum in altero: sed non potest poni in vtroque extremo vnum absolutum, quia vnum numero nequit naturaliter afficere duo subiecta æque immediate, sicut nec vna forma duo subiecta, siue informando, siue inhærendo; nec etiam ponitur vnum absolutum in vno, & alterum in altero, quia sic daretur duplex vnio substantialis inter materiam & formam contra magnam partem aduersariorum, vt videbimus primo *Physicorum*. Probatur sequela maioris, quia quæcumque referuntur ad se inuicem relatione reali mutua, debet habere ab vtraque parte rationem positiuam fundandi illam denominationem, nec potius debet fundari in vna quam in altera, si vtraque sit capax: & ita videmus contingere in relationibus similitudinis & dissimilitudinis, ac similibus: sed materia & forma referuntur ad se inuicem denominatione mutua relatiua

Dantur relationes extrinsecus aduenientes.

X vni;

Quid sit relatio extrinsecus adueniens.

vniti, & ille modus absolutus est ratio proxima aut formalis, aut fundamentalis, vnde proueniat: ergo debet poni in vtroque extremo.

4. *Confirmatur tertio*, quia frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora: sed ex duabus formalitatibus, quas ponunt in vnione, absoluta scilicet & respectiua, sufficeret sola respectiua: ergo frustra ponitur altera.

Dices: si potuisset poni, sufficeret; sed non potest poni sine absoluto, & consequenter est magna necessitas absoluti. *Contra*, quia non potest, vel leuissima ratio assignari, quæ ostenderet, quod non posset poni: ergo gratis asseritur minor.

Confirmatur quarto, quia non potest dari vlla implicancia, cur non posset aliquid pure respectiuium poni de nouo inter materiam & formam per actionem alicuius extrinseci terminatam immediate ad illud: sed ex suppositione quod hoc posset fieri, non est vlla ratio, ob quam dicatur, quod ita de facto non fiat; & ex altera parte multo congruentius esset dicere, quod ita fiat, quandoquidem illud, quod ponitur inter illa, non possit intelligi, nisi per modum respectus actualiter ordinantis vnum ad aliud: ergo debet dici quod illud, quod ponitur inter illa per actionem causæ vnientis, sit respectus purus, & nullo modo quid absolutum.

5. *Dices*, implicanciam esse quod respectus possit produci per actionem aliquam ad se immediate terminatam, vt sæpius testatur Philosophus; si autem poneretur per causam extrinsecam aliquid pure respectiuium inter materiam & formam, produceretur respectus per actionem ad se immediate terminatam.

Contra: Philosophus nunquam dixit non posse terminari actionem immediate ad relationem extrinsecus aduenientem, sed tantum id de relatione intrinsecus adueniente asserit. Sed non est eadem ratio de vtraque: ergo, &c.

Dices, Philosophum non fecisse mentionem de vna in specie, neque de altera, sed id vniuersaliter asserit de relatione, & propterea debet intelligi de quacunque relatione.

Contra, quia id asserit expresse de relatione tertii prædicamenti præsertim secundum aduersarios, quia alias relationes non nouit: ergo non debet intelligi de aliis relationibus, si darentur, sed de iis, quæ ad illud prædicamentum pertinent.

Et confirmatur, quia illud quod dixit Philosophus, debet fundari in ratione: sed non est vlla ratio, cur ad relationes extrinsecus aduenientes non daretur actio, & est optima ratio cur non daretur ad relationes intrinsecus aduenientes, quia hæc præsupponunt aliquid, ad quod necessarium sequitur sine actione: illæ vero non præsupponunt: ergo intelligendus est Philosophus solum de his, & non de illis. Quod si Philosophus expresse negaret ad vllam relationem dari actionem, potius neganda esset eius auctoritas, quam hæc conclusio.

6. *Obiicit primo*: Propterea relationes intrinsecus aduenientes dicuntur tales, quia sequuntur necessario ad extremas, posito fundamento proximo seu ratione fundandi; sed vni licet non sequatur necessario positus extremis, tamen sequitur necessario positus illis, & ratione fundandi: sequitur enim necessario ad actionem vnitiuam, quæ est ratio fundandi ipsam: ergo si sit ratio non transcendentalis, non erit extrinsecus, sed intrinsecus adueniens tam bene, quam similitudo, aut paternitas.

Confirmatur ex Ioanne à S. Thoma hic: actio sequitur necessario posito fundamento, & termino, & ratione fundandi, & similiter vbi: ergo sunt relationes intrinsecus aduenientes potius, quam extrinsecus iuxta nostram explicationem. Probatur antecedens, quia ratio fundandi actionem est positio effectus, & ratio fundandi vbi est circumscriptio corporis ambientis: sed positus his necessario sequitur actio & vbi, ergo.

Respondeo negando minorem; ad cuius probationem dico quod actio vnitiua non sit ratio formalis fundandi vnionem, nam ratio formalis fundandi debet esse in extremis, quæ referuntur aut in aliquo ex illis, vt patet discurrendo per omnes relationes tertii prædicamenti; actio ve-

ro vnitiua est in agente vniente, & non in illis extremis. Quod si etiam actio illa esset ratio fundandi, & etiam esset in illis extremis, adhuc obiectio nihil concluderet;

Respondetur enim secundo distinguendo maiorem: posito fundamento proximo seu ratione fundandi distincta ab actione productiua relationis, concedo; quæ non distinguatur ab ipsa, sed sit ipsamet actio productiua vnionis, nego maiorem.

7. *Ad confirmationem* nego antecedens cum sua probatione: nam positio effectus & circumscriptio corporis habetur formaliter per ipsammet actionem, & vbi, & non per aliquid prius: ergo non sunt rationes fundandi, ad quas sequuntur necessario actio & vbi.

Et per hoc patet ad fundamenta *Arriagæ disput. 12. Log. num. 6. & 11.* qui videtur non intellexisse nostram sententiam, dum in confirmatione sua euidenti, vt ipse ait, ex eo quod relatio paternitatis sit intrinsecus adueniens, infert relationem causæ & effectus intercedentem inter duos ignes esse talem: quasi Scotistæ non eodem modo philosopharentur de vtrisque; cum tamen certum sit eos nullam prorsus agnoscere differentiam inter illas. Nam qui ponunt inter patrem & filium præter actionem, quæ est respectus extrinsecus adueniens, aliam relationem intrinsecus aduenientem, similes duas relationes ponunt inter duos ignes; & qui vnam tantum relationem ponunt inter patrem & filium, quæ est actio, ac respectus extrinsecus adueniens, vnam etiam ponunt tantummodo inter duos ignes.

Obiicit secundo: si daretur aliquis respectus purus non transcendentalis, qui non esset de prædicamento *Ad ali-* quid, esset & non esset istius prædicamenti, quod est absurdum. Probatur sequela; non enim esset, ex hypothesi; esset autem, quia conueniret vni uoce in ratione respectus cum relationibus istius prædicamenti.

Respondeo negando sequelam cum sua probatione quoad secundam partem; non enim ex eo quod aliqua conueniant vni uoce, debent poni in eodem prædicamento. *Confirmatur hæc responsio*, quia non est maior conuenientia inter relationem intrinsecus aduenientem & extrinsecus in ratione relationis vt sic, quam est inter vbi & quando, cæteraque vltima sex prædicamenta (ex suppositione quod sint modi absoluti dicentes respectum transcendentem, vt dicunt aduersarii) in ratione modi absoluti vt sic: ergo sicut ex conuenientia horum in ratione modi non admitterent aduersarii quod pertineant ad idem prædicamentum: neque etiam inferre debent ex conuenientia relationis intrinsecus aduenientis cum relatione extrinsecus adueniente, quod sint eiusdem prædicamenti.

CONCLUSIO II.

8. *Bene definitur relatio extrinsecus adueniens esse respectus realis realiter distinctus ab extremis, non præsupponens aliquid ex parte ipsorum, ad quod necessarium sequitur, quod non sit actio productiua ipsius, cuius totum esse est ad aliud se habere.* Hæc fere patet ex dictis.

Ponitur respectus realis, tanquam genus, in quo conuenit cum aliis relationibus realibus tam transcendentalibus, quam prædicamentalibus. Dicitur *realiter distinctus ab extremis*, vt distinguatur à relationibus realiter identificatis suis extremis, vt sunt relationes creaturæ ad Deum, materiæ ad formam, potentiæ ad obiectum, &c. Dicitur, *non præsupponens aliquid ex parte extremorum ad quod necessario sequitur*, vt distinguatur à relationibus intrinsecus aduenientibus, quæ tale quid semper præsupponunt. Dicitur *quod non sit actio productiua*, quia aliquando posset præsupponere in extremis vel in aliquo ex illis ipsam actionem productiuam sui: quando enim aliquis moueret se localiter, & poneret se in loco, vbi illud intrinsecum, quod haberet, præsupponit in ipso aliquid ad quod necessario sequitur, nimirum actionem productiuam sui. Verumtamen aduertendum est quod non necessario præsupponeret ipsam in extremis, quia si agens extrinsecum poneret locum in illo loco, habuisset illud vbi, & tunc actio productiua vbi non esset in extremis:

Et

Ad quas
relationes
non datur
actio.

Descriptio
relationis
extrinsecus
aduenientis.

